

Pater à nullo factus est) Hæc nota *Characteristica primæ* ^{Personalis} *Personæ* est, per quam innotescit, non verò *Character personalis*, per ^{Character Pa-} *quam Pater est. Patris autem proprietatis & Character Personalis est gi-* ^{tris.} *gnere*, inquit Chemnit. *Tom. 1. L. L. Theol. pag. 106.* Ideo enim, quia gignit Filium, Pater est; per id autem, quod à nullo est, innotescit saltem distinctio ejus à Filio & Spiritu Sancto, cum ille sit genitus, hic verò procedat. In *Græco Exemplari* significantius hoc exprimitur, & ita ibidem legitur: *ὁ πατὴρ ἀπ' ἑδενός θεοῦ, ἔδὲ ποιητὸς, ἔδὲ κλητὸς, ἔδὲ ἡ-*
γησθεῖς,

Filius à Patre solo est) Hoc non obest veræ Deitati Filii; sed *modus* saltem *habendi* veram Deitatē insinuatur, & ostenditur, quod non à *seipso*, sed à *Patre* eam habeat. Ut autem à Patre Filius *Essentiam* suam habeat, tamen *& ipse DEUS* est, quia *unam numero Essentiam* cum *Patre* habet, & quoad *ὕποστασιν* saltem à *Patre* distinguitur. Intelligi hinc potest, quod disputari in Scholis Theologorum solet: *an Filius possit dici αὐτόθεος?* Si enim vocabulum hoc si ^{An Filius dici} *gnificat idem atque ipsum DEUM*, tunc *nomen essentiale* est, & *Filio* non ^{possit} *minus, quàm Patri* competit: Si autem *personaliter* accipitur, & *αὐτό-* ^{αὐτόθεος?} *θεος* idem est ac significat, quàm à *se ipso DEUS*, *Filio* non competit, qui quidem & *ipse DEUS* est, tamen non à *se ipso*, sed à *Patre* Deitatem istam habet.

Genitus) Hic est *Character* secundæ *Personæ Trinitatis*, per ^{Personalis Cha-} *quem secunda Persona Filius est*, prout etiam in *Scriptura* manifestè il- ^{acter Filii.} *le* insinuatur *Psal. II. 7. Proverb. II. 22. 1. Job. V. 1.* Intelligitur autem non *generatio Metaphorica*, prout quidem D. Moltherus *Profess. Giessensis* statuit, & de eo legi potest Mentzerus *Disp. 4. Appendicis Giessensium* *Θ. 26. p. 537. & seqq.* (Pro quo *Molthero* contra *Mentzerum* disputat *Joh. Crocius in part. 2. Conver. Prutenicæ.*) Sed *vera ac realis*, quæ non *Physica* est, sed *hyperphysica*, & omnes istas imperfectiones, quæ generationem *Physicam* comitari solent, excludit quidem, non tamen *veritas ac realitas* ejus propterea inde exulat. Uti enim omnis generatio vera ac realis & propria fit per *communicationem ejusdem nature, quam habet generans*: Ita quoque per generationem hanc Pater ab æterno communicat Filio naturam suam ac essentiam, non *specie* eandem, sicut finiti Patres naturam filiis suis communi-